15. 259

DIE XVI. APRILIS.

OFFICIUM
IN FESTO
S. THURIBII DE LIEBANA,
EPISCOPI, ET CONFESSORIS.

DUPLEX.

Pro omnibus Regnis, ac Dominiis Hispaniarum Regi subjectis, & ab omnibus Ecclesiasticis tam Sæcularibus, quàm Regularibus utriusque sexus, die vxi. Aprilis recitandum, ex concessione Sanctissimi Domini Nostri BENEDICTI XIII. sub die 23. Septembris 1729.

Omnia ut in Communi Confess. Pontif. præter ea, quæ hìc habentur propria.

ORATIO.

Exaudi quæsumus Domine, &c. *de Communi secundo loco.*

* IN

IN I. NOCTURN.

Lectiones de Scriptura occurrente.

IN II. NOCTUR.

Lectio iv.

THuribius vir Sanctissimus peregrinationis causâ in Palęstinam profectus, à Hierosolymorum Antistite sacrorum custos designatur. Suscepto in Hispaniam itinere, Leonem Primum Summum Pontificem veneratus, à Suevorum Rege Gallecis imperante honorificè susceptus, postquam Regiam puellam, aliosque infirmos mirabiliter sanavit, & templum Christo Salvatori dicavit, invitus ad Episcopatum Asturicensem promovetur. Ab Archidiacono sedem illam ambiente adulterii accusatus, in sacro linteo penitus illæso prunas ardentes ad altare portavit: eoque miraculo, ac repentina morte calumniatoris, aliam etiam inferentis injuriam, suam innocentiam comprobavit.

℟. Inveni David.

Lectio v.

CAtholicæ veritatis ardore Hispanias Priscillianistarum erroribus infectas cœpit lustrare; Episcopos serpentis monere contagii, & Sedis Apostolicæ implorare subsidium. Misso itaque ad Leonem Pontificem Diacono, commonitorii ad Episcopos seriem, & errorum libellum adjunxit; à quo per gra

gravissimam Epistolam defensæ fidei laudem, & grassantis hæresis antidotum reportavit. Ejus auctoritate duo cogi curavit Concilia, unum Toleti, alterum in Gallecia, apud Ullenense municipium, in quibus perniciosissima heresis condemnata est, errantesque Episcopi Catholicæ fidei subscripserunt.

℞. Posui adjutorium.

Lectio vi.

CUjus doctrinam magno Deus confirmavit miraculo: Urbem quippè Palentinam his erroribus pertinaciter adhærentem, & Sancti viri prædicationibus adversantem, ad labentis fluvii insperatam excursionem, penè totam submersit; quo supplicio meliores cives effecti, Thuribii doctrinam susceperunt. Multos pro fide Christi labores passus, virtutibus, & miraculis clarus quievit in pace. Ejus corpus translatum est ad Ecclesiam Sancti Martini montis Liebanæ à se constructam, & pretiosis, quas Hierosolymis asportavit, reliquiis decoratam, ubi eum finitimi populi summa colunt veneratione.

℞. Iste est, qui ante Deum.

IN III. NOCTUR.

Homilia Sancti Gregorii Papæ in Evangelium: Homo peregrè proficiscens, *ut in Communi Confessoris Pontificis primo loco.*

Missa

Missa : Statuit ei Dominus testamentum pacis, *de Communi primo loco cum oratione* : Exaudi, *de Communi secundo loco.*

HISPANIARUM.

AD pias Serenissimi Regis Catholici, enixasque Episcopi, & Capituli Ecclesiæ Cathedralis Asturicensis preces Sanctissimo Domino Nostro pro extensione Officii Sancti Thuribii Episcopi Asturicensis ad omnia Regna, & Dominia ipsi Serenissimo Regi subjecta porrectas; Sanctitas Sua petitum Officium singulis annis die 16. Aprilis sub eodem ritu, quo in præfata Civitate, ac Diœcesi Asturicensi peragitur, ab omnibus Ecclesiasticis tam Sæcularibus, quàm Regularibus, utriusque sexus, in omnibus Regnis, ac Dominiis Serenissimi Regis Catholici, servatis tamen Rubricis Breviarii, ac Missalis Romani recitari, ac Missam respectivè celebrari benignè indulsit, atque concessit. Die 23. Septembris 1729.

N. Card. Cosria.

Loco ✠ Sigilli.

N. M. Tedeschi Archiep. Apamen. Sac. Rit. Cong. Secr.